

latis, caule paniculato *Roy.*; *Ocymum fruticosum*; *Cedronella canariensis*; *Sison foliis ternatis Hort. Cliff.*; *Sideritis cretica tomentosa candidissima flore luteo Tourn.*; *Azedarach*; *Sideritis orientalis, phlomidis folio. Tour.?* *Amaryllis Belladonna*; *Reseda erucago apula. Column.*; *Papaver cambricum Dill. Elth.*; *Apocinum curassavicum*; *Solanum bonariense Dill. Elth. 2. 272*; *Mandragora*; *Alypum frutex terribilis*; *Sherardia tenui folio, fl. purpureo Vaill., ut reliquas taceam.*

Tam multæ tamque raræ plantæ quas antea non vidit Suecia, non possunt non me coram pedibus Tuis gratissimâ mente prosternere.

Expecto flores *Lupuli sylvestris Americanæ claviculis donatæ Pluk. t. 201 f. 8,* quam vix a facie dicerem *Bannisteriam,\** nisi tu mihi dixisses. Egregie crescit et forte proximo anno flores ostendet.

*Axyris* mihi novum genus est; floribus masculis triandris, ab *Amaranthis* diversum cujus species mihi sunt

1° *Axyris fruticosa, floribus femineis lanatis, orientalis.*

2° *Axyris erecta herbacea amentis masculis simplicibus.*

3° *Axyris herbacea, amentis masculis corymbosis.*

4° *Axyris herbacea, floribus capitatis.*

} Sibiria.

et forte

5° *Axyris foliis linearibus, caule herbaceo, fl. nudis. Linaria Scoparia.* Si habeas plantam florentem quæso examines.

Mihi tantum species 2<sup>a</sup> in horto est.

*Napæa* vocavit (a *νάπη* Saltus lucus, *Nympha sylvatica*, quia umbrosa amat) Clayton novî generis plantam, quam nuper delineavit D. Ehret Londini splendidissime, est *Althæa magna Aceris folio, cortice cannabino, floribus parvis etc. Bannist. in Ray hist. 2. p. 1928.* Hæc in diversâ plantâ flores gerit masculos et femineos ideoque dioica mihi est.

Sub hoc genere ego comprehendo *Althæam virginianam ricini folio Herm.,* quamvis floribus hermaphroditis; ubique plantæ facies eadem, flores et fructus iidem; excepto sexu. Distinguitur facile *Napæa* a *Sidis* calyce non plicato sed urceolato et stylis non capitatis; adeoque prior *Napæa* floribus dioicis; posterior *Napæa* fl. hermaphroditis. Ias procul dubio dudum accepisti.

*Calamistrum* † in itinere Scanico copiose collegi; vidi quod sit genere diversissima a *Pilulariâ* tuâ quam ibidem copiose offendi primâ vice intra Sueciæ limites; offendissem nunquam nisi tu eamdem mihi demonstrasses in tuo gratissimo itinere. *Calami-*

\* Recte quidem; nam est *Gouania Domingensis, L.*

† *Isoetes.*